

Letter 31: 31 July 1519, Leipzig, Johannes Cellarius to Capito

Cellarius' letter was published under the title *Ad Wolphangum Fabritium Capitonem Theologie Doctorem et Concionatorem Basiliensem, Ioannis Cellarii Gnostopolitani Lipsiae Hebraice linguae professoris, de vera et constanti serie theologice disputationis Lipsiae epistola* (Leipzig: Landsberg, 1519). The letter was reprinted in Johann Eck's *Expurgatio...adversus criminationes F. Martini Lutter* (Augsburg: Grimm & Wirsung, 1519).

Volphango Fabritio Capitoni sacrarum literarum professori Ioannes Cellarius Gnostopolitanus salutem dicit.

Si quamlibet parvam omitterem occasionem significandi omnibus singularem observantiam in te meam syncerissimam, Volphange, ingratitude profecto vitio arguendus venirem, quod ut
5 omnium vitiorum fontem et principium semper maxime detestandum censeo. Ne in id corruens Hypocratis vinculo dignus merito iudicaretur, placuit itaque nunc palam facere quo amore, qua charitate, qua in te reverentia sim affectus, non solum ob privata merita, verumetiam ob magnum literarum et literatorum studium, amoremque virtutis non vulgarem quem in te iam hinc inde in Latinis, Grecis et Hebraeis literis videmus elucescere. Sed quae nam est, inquires, hec occasio? Paucis
10 accipe. Nosti, mi Volphange, quot quibusve diebus et quantum ingens inter D. Jo. Eckium Ingelstadiensem et D. Martinum Lutherum ac Andream Bodenstein Carolostadium Wittenburgenses ob nonnullas (ni fallor) conclusiones olim divulgatas concertatio incalescebat, ita ut post nudas conclusiones per totum pene orbem dispersas res invectivis et apologiis ceperat agi. Quum autem
15 ipsis pro bono rei exitu eiusmodi formam omnino non sufficere visum est, nisi etiam ad publice disputationis arma descenderent, utriusque consensu publica disputatio conclamata est ac in florenti felicitate Lipsensi gymnasio ab illustrissimo nostro principe Georgio duce Saxoniae, magno Turingiae praeside, Mysiae denique marchione, munificentissimo Lipsicae academiae mecenate ac tutore admissa est; et quamvis in ea inclita suae celsitudinis academia pulcherima musarum sint
20 edificia, quae collegia vocamus, in his item auditoria capacissima, non tamen alio in loco quam in sua arce theologice hanc disputationem celebrari voluit. Quo autem ordine vere et constanter sit observata, si eundem tibi enumeravero, me tibi rem fecisse gratissimam existimo et simul meum in te animum declarasse.

Die itaque xxvii Iunii hora secunda pomeridiana, nam mane primo a consulto et erudito viro D. Simone Pistoris iuridicae facultatis ordinario excipiebantur hospites, deinde una ad
25 templum S. Thomae pro audienda re divina, quae de sanctis habebatur, ascenderunt, tum ad arcem et locum certaminis ubi iussu illustrissimi principis ducibus disputationis modestia qua praediti esse deberent perlegebatur ac deinde hora, ut dixi, secunda pomeridiana factus est congressus disputatorius.

Primo de libero arbitrio proposuit D. Joan. Eckius contra Carolostadium, quod et illud
30 active concurreret ad operis boni factionem cum gratia et sic mixtim agerent non divisim. Hoc perpulchre per B. Bernhardum probavit. Ubi Carolostadius in scriptis diu reluctabatur quoniam liberum arbitrium haberet se tantum passive et receptive ad bonum opus cuius solum capax esset, tamen auctoritatibus sacrae scripturae et sanctorum patrum inductus, cum Eckio dedit liberum arbitrium habere activitatem in bono opere, et ita in concordem descenderunt sententiam.
35 Audisses hic, mi Fabriti, quanto ingenio et quasi Demostenico magnae inductionis seriem Eckius rotundissime assumere et resumere potuit, Carolostadius autem librorum et schedarum adminiculo argumenta et solutiones proferre solebat; et quum opponendo vellet totius rationis suae seriem ex scheda domi meditata legere, Eckius id noluit amplius admittere, admissurum

40 tamen se pro hac vice, at in posterum cavendum nisi forte alicuius sancti patris verba adnotaret
aut sacrae scripturae. Disputare vellent, non legere, inquit Eckius. Facta itaque relatione coram
dominis fuit decretum: non esse hanc disputandi formam legere ex scheda totum tenorem. Quare
Eckium non iniuria recusare hanc lectionem, debere et Carolostadium deliberare usque in
crastinum an argumenta memoriter vellet adducere aut disputationi cedere.

45 Rediit itaque mane Corolostadius [sic] leges disputantium observans (instructus tamen
multis libris) et docte in medium adduxit totum bonum opus esse a Deo; quod Eckius admisit
quia simul agant gratia et liberum arbitrium individuo opere, secundum Bernhardum, mixtim non
sigillatim vel divisim at per hoc non dici debere liberum arbitrium non agere, quoniam etsi Deus
ageret totum, non tamen totaliter, per quod concursus alterius causae negaretur. Corolostadius
[sic] fortiter opposuit quia sancti patres non sic essent locuti. Quod diluit Eckius quia disputatio
50 de nominibus esset pertinacibus relinquenda, constare ex sanctis patribus opus bonum esse totum
a Deo et tamen liberum arbitrium agere illud. Hoc ipse rotunde enuntiavit, per totum sed non
totaliter.

Quum itaque conclusum esset in materia liberi arbitrii ac ad declarationem eligendorum
iudicum positum, D. Martinus Lutter in materia de primatu ecclesiae Romanae cum Eckio
55 quoque congressus est et disputando proposuit: Papam non esse superiorem aliis iure divino,
immo potius consensu humano, nec S. Petrum primatum accepisse super ecclesiam Dei et aliis
apostolis, sed sufficere unum caput ecclesiae, scilicet Christum. Contra Eckius apertis probavit
testimoniis unum esse primum in ecclesia vicarium divino iure illius supremi capitis Christi et
quod super hanc petram, hoc est Petrum et successores, edificasset ecclesiam Deus, iuxta
60 apertissima testimonia ex Augustino, Hieronymo, Ambrosio, Gregorio, Cypriano, Chrisostomo,
Leone, Bernharo et aliquot pontificibus, qui expressis verbis hoc testantur. Sed Martinus horum
autoritatem non magnificavit quia S. Pauli erat fundatus sententia ad Galatos et aliis locis. Quos
tamen sibi non resistere Eckius conabatur ostendere, sed hoc iudicum est decernere an fecerit.

Admisit quoque Eckius apostolos pares fuisse sacerdotio et apostolatu secundum Leonem
65 et Cyprianum, tamen caput esse constitutum Petrum ut scismatis tolleretur occasio. At dum
Eckius obiiceret Martino dictum illud Lutterianum patrocinari hereticis Hussitis et esse
damnatum inter erroneos articulos laudabilis et sacri concilii Constantiensis, ad hoc D. Martinus
respondit non omnes articulos ibi damnatos esse hereticos, immo aliquos articulos Joannis Hus
esse christianissimos et evangelicos, unde petiit prius probari per Eckium concilium errare non
70 posse. Ob hoc a multis male audit D. Martinus. Similiter quod Grecos Romanae ecclesiae
inobedientes voluit esse in bona vita et salutari. Sed haec ad iudices, obiiciente vero Eckio: Si
papa non haberet iure divino primatum, unde D. Martinus haberet habitum quem gestaret, unde
fratres sui confessiones audirent? Certe parrochianis dissentientibus etc. Respondit D. Martinus
inter alia se velle nullum ordinem mendicantium esse, plurimum autem innitebatur Gregorio in
75 Registro negantis se oecumenicum episcopum esse. Eckius exposuit qua ratione id negaverit
quod tamen vere fuit citando Gregorium super c. decretum 2.q.7.,¹ et quod ob hoc restitit
imperatori et Constantinopolitano patriarchae, ut Platina refert, cui Lutter plura tribuit in
hystorica veritate. Sed iudices discernant uter rectius senserit.

Post haec coeptum de purgatorio agi, unde videlicet esset pena purgatorii, ex scripturis an
80 eo quod animae decedentium essent imperfectae charitatis aut quia pro peccatis hic perpetratis
satisfacerent. D. Martinus respondendo dixit non probari posse ex sacra scriptura purgatorium
esse, quamvis constanter asserebat, et quum libri Machabeorum essent per D. Eckium citati,
negavit eos esse de canone. Contra Eckius ostendit eos esse de canone Bibliae (Augustini et

¹ Corr.: Z.q.7

85 Hieronimi auctoritate in prologo) apud ecclesiam, et quum plures sancti doctores adducti fuissent
qui S. Paulum interpretentur loqui de purgatorio ad Corinthios, Salus erit quasi per ignem, D.
Martinus docte alium sensum attulit. Sed an a patrum sententia recesserit, iudices discernant.

De indulgentiis minore contentione disputatum est, nam in abusibus declamantium
indulgentias ambo concordabant et Martinus mitior fuit quam alias scripserat. Admisit enim
90 indulgentias esse utiles, sed tamen tenebat sententiam indulgentias esse remissiones bonorum
operum. Contra D. Eckius dixit eas esse remissiones penarum pro peccatis debitarum. Sed si
nollet credere indulgentias esse satisfactorias, iam esset anathemate percussus per bullam
novissimam Leonis Pape X.

Dein de penitentia, quomodo paranda sit, disputatum est. Nitebatur D. Eckius ex sacris
litteris et patribus ostendere penitentiam recte incipi a timore etiam penae et ad omnia inducta
95 respondit Lutherus primo timorem filialem esse initium sapientiae, non servilem penarum. Sed
D. Eckio Augustinum, Cassianum et alios inducente quod intelligerent de timore, etiam servili,
admisit Martinus timorem quidem servilem esse initium sapientiae, sed cum gratia. Reluctabatur
Eckius quia sic gratia esset ante initium gratie quum per sapientiam eo loco secundum
Augustinum et Bernhardum charitas intelligatur. An recte restiterit vel minus, iudices dati
100 iudicabunt.

Postremo contra conclusionem 4 et 5 obiecit Eckius remissa culpa non dilutam penam et
quod pena illa, quam satisfaciendo deberet detergere, papa posset indulgentiis recompensare et
sacerdos iniunctione emend[ar]e ita quod non solum satisfaceret ecclesiae sed etiam Deo pro
peccato. Sed D. Martinus reluctabatur, propterea res in sententiam iudicum relata est. Actum
105 autem erat per dominos ut citius absolverentur conclusiones disputandae difficiliore unde evenit
ut multae materiae manserint intactae.

Rursus aggreditur Eckius Carolostadium et conatur ei ostendere quod scolastici doctores
non dissident ab ecclesiasticis, si eos recte intellexerit de remotione obicis et quod homo
faciendo quod in se est in bono adiuvatur a Deo et salvatur. Excusavit se etiam quod cum dixisset
110 materiam predestinationis esse impertinentem negotio de quo tractabant, Carolostadius
imposuerit ei quod dixerit auctoritates de predestinatione non pertinere ad opera coronanda. Et
recte et bene ipse legerit in Bernhardo: Tolle liberum arbitrium et non est quod salvetur. Sed
recte Carolostadium esse depravatum librorum, si in Bernhardo velit quo pro quod legi, ad
quae respondit Carolostadius, et ad iudices negotium relatum est.

115 Ultimo Carolostadius contra conclusionem ii. Eckii obiecit, volens iustum in omni opere
bono peccare, quod displicuit Eckio: Sanctum Laurentium in craticula peccasse, et Sanctum
Petrum in cruce. Et Carolostadio citante Augustinum et Hieronimum, Eckius instabat acrius ut
locum ostenderet quoniam nullibi hoc in eis inveniretur, sed potius oppositum ostendi ex
Hieronimo contra Pelagianos, et cum plura ultra citraque essent dicta, haec quoque materia in
120 iudices relata est.

Restabat adhuc materia de penitentia quam etiam D. Carolostadius dudum fecerat
consignari apud dominos, sed quia D. Martinus abierat et ipse ad domum festinabat, noluit
diutius Eckio opponere. Et sic disputatio magnifice sicut ceperat, ita quoque oratione finita est,
quam prestabilis vir Ioannes Langius Lembergius dissertissime peroravit.

125 Scire autem desyderas, doctissime Capito, qui fuerint iudices dati et hoc quidem te latere
nolo. Convenerunt enim ante disputationem Eckius et Carolostadius coram illustrissimi principis
Georgii Saxonie ducis etc. consiliariis et rectore ac concilio universitatis. Obtulit se Eckius ad
disputationem paratum et se facturum omnia quae domini iuberent, modo Carolostadius vel in
universitatis iudicium consentiret, aut alium iudicem assignaret. Carolostadius autem non minus

130 ad disputandum paratus petiit ut disputata fides exciperentur notariis, cui Eckius statim annuit,
modo in iudicem consentiret Carolostadius. Itaque decretum fuit per dominos neutrum a loco
debere decedere quousque de iudice convenissent. P. vero Martinus nullum omnino gymnasium
voluit ferre iudicem, quamvis Eckius ei optionem daret ferme ex omnibus Germaniae, Italiae,
135 Galliae et Angliae gymnasiis, duobus demptis. At proposuit disputata statim per calcographos
disseminanda ut suum cuique legenti liberum esset iudicium. Verum illustrissimi principis
consilarii et universitatis concilium eum sic ad disputationem admittere noluerunt. Itaque
discessum fuit eo die, ut Martinus nollet disputare sed postea inductus amicorum consilio rediit
et sub forma Carolostadii disputationem assumpsit. Qua finita su[g]gessit Eckius illustrissimi
140 principis consiliariis ut presente adhuc duce Georgio (qui illustrissimus princeps saepe
disputationi interfuerat) iudices deligerentur. Itaque Martinus Parrhisiensem et Ertphurdensem
obtulit, quos quoque Eckius acceptavit modo confratres Martini Heremitaie in Ertphurdia non
interessent. Abeunte autem duce voluit Martinus totum consilium universitatis debere iudicare
sive essent iuris civilis prudentes, medici, vel philosophi, et quod patres ordinum sancti Dominici
et sancti Francisci non interessent. Sed id iniustum visum est Eckio medicos aut alterius
145 professionis homines de altissimis theologiae locis iudicare, res tamen utriusque consensu in
illustrissimi principis manus data est.

His itaque, mi Capito, quibus firmam fidem adhibere possis, te certiore reddere volui,
proculdubio non deerint qui sola vincendi libidine, utcunque ramusculos propagare nitentur, ut
videantur vicisse, quantumvis veritatem ledant. Tu autem his fidem adhibe, nam ita se res et ordo
150 huius theologiae disputationis Lipsiacaе constanter habuit. Protestor quoque quod neque in
favorem nec odium alicuius partis scripserim, sed solum ut res peracta est, ac super ea refero me
ad illustrissimum nostrum principem Georgium, suos equissimos consultissimosque consiliarios
et ad totum nostrae Lipsiacaе universitatis concilium. Etiam cum olim publicabitur disputatio,
manifestum erit quid dixerim.

155 Vale, nostrorum optime atque doctissime, et D. Ioannem Oecolampadium, trium
musarum haud vulgariter doctum, Beatum Rhenanum, Brunnonem, et omnes nostros amicos,
quantum potes meo nomine salvere iube.

Lipsiae, ex edibus nostris, pridie Kalendas Augusti, anno millesimo quingentesimo
decimo nono. Cum gratia.